

Filios advenæ adducam in montem sanctum meum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ

56, 1. 6-7

¹ **H**æc dicit Dóminus:
«Custodíte iudícium et fácite iustítiam,
quia iuxta est salus mea, ut véniat,
et iustítia mea, ut revelétur.

[2-5]

⁶ Et fílios ádvenæ, qui adhærent Dómino,
ut colant eum,
ut díligant nomen Dómini,
ut sint ei in servos,
omnes custodiéntes sábbatum, ne pólluant illud,
et tenéntes fœdus meum,
⁷ addúcam eos in montem sanctum meum
et lætificábo eos in domo oratiónis meæ:
holocáusta eórum et víctimæ eórum
placébunt mihi super altári meo,
quia domus mea domus oratiónis
vocábitur cunctis pópulis».

Verbum Dómini.